

V. A. SIRAGO

LUCANUS AN APULUS ?

Extrait de *L'Antiquité Classique*
T. XXVII (1958), fasc. 1.

BRUXELLES
1958

LUCANUS AN APULUS?

par Vito A. SIRAGO.

... sequor hunc [= Lucilium], Lucanus an Apulus anceps;
 nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
 missus ad hoc, pulsus, vetus est ut fama, Sabellis,
 quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
 sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
 incuteret violenta (¹).

Quamquam de natione nugans ancipitem se dicit Horatius Venusiamque et Apuliae et Lucaniae conterminam esse praedicat, patriam tamen Apuliam sibi que originem cum Apulis coniunctam indicat. Nam non solum res suae primae aetatis notabiles in Apulia gestas memorat, sed et cum mores priscae virtutis monet et cum figuris elegantique elocutione versus exornat et cum nomen posteris aeternum suae terrae se relicturum sperat, Apulos fines regionesque describit, quarum non solum memoria, sed quasi illecebris semper allicitur. Apuliae vero et vias et rerum notabilium cognoscit memorias, cognoscit hominum mores et ingenia, pecora ac fructus celebrat, positionem locorum verisque perpetui dulcedinem diligit. Quam autem Apuliae dilectio mirusque patriae amor in Horatii animo fuerit constans nunc speramus nos posse demonstrare.

Satis constat Horatium, ut fere nullum Augusti aetatis scriptorem, multas suae vitae, multas amicorum res memoriae tradidisse. Nec non de sua patria Venusia. De qua, si quis — ut P. De Grazia (²) — Horatium censuit parum esse locutum, cum illic nec parentes nec familiares haberet, nec de Apulia Lucaniaque multa dixisse, cum nullo uteretur amore, ceteri tamen aliter iudicaverunt: immovero W.Frenkel(³) Horatianis usus memoriis

¹ Hor., *Sat.* 2, 1, 34-39: ex editione Friderici KLINGNER qui *Q. Horati Flacci opera* iterum recognovit Lipsiae, anno MCML.

²P. De Grazia, *Orazio Fiacco, la sua terra natale, la sua famiglia*, in *Arch. Stor. per la Cal. e la Luc.*, Roma, V (1935), pp. 1-20.

³ W. FRENKEL, Venusia and the native country of Horace, pp. 439-456, in *Class. Journ.*, 26 (1931), pp. 439-456.

Venusiam eiusque territorium et res antiquitate conspicuas luculenter descripsit. Nec non H. V. Canter Horatium secutus auctorem amplum excursum fecit non modo de Venusia, sed de omnibus locis memoria dignis in Samnio, Campania, Hirpinia, Lucania et Apulia; sic demum F. G. Capozzi ⁽¹⁾ iter Brundisium rursus cum Horatio in mappa recognovit eademque loca vicosque inlustravit ⁽²⁾. Ceterum, Venusia nobilior colonia fuit quam quae silentio praetereatur. Nam viri docti recentes reliquias veteres colligentes antiquae coloniae splendorem in lucem prodiderunt ⁽³⁾, magnificentia longe dignissimum quam tituli epigraphici adhuc praedicant⁽⁴⁾. Etenim celebris statio Appiae viae semper mansit ⁽⁵⁾, unde plures viae et in Apuliam et in Lucaniam porrigebantur. Quam ob rem viri docti, scilicet ex operibus poetae nostri ac laudibus ⁽⁶⁾, de Venusia multi disseruerunt ⁽⁷⁾, multi urbem laudaverunt.

Nostris autem temporibus, ut liquet, Venusia (italice « Venosa ») inter fines Lucaniae comprehenditur, in regione sita quae cuneum facit in Apuliam (it. «Puglia»). Unde Lucani quidam viri docti nostrae aetatis, ut N. Festa, Lucanum praedicant Horatium fuisse et res a poeta traditas Lucaniae attribuendas putant esse ⁽⁸⁾. Quod scilicet falsum indicamus. Nam Venusia ab antiquis scriptoribus semper cum Apulia memoratur: de eius origine Servius hoc tradit ⁽⁹⁾

Diomedes ...Venusiam ... in satisfactionem Veneris, quod eius ira sedes patrias invenire non poterat, condidit: quae Aphrodisias dieta est ⁽¹⁰⁾;

eius situm describens Plinius hoc tradit ⁽¹¹⁾:

Dauniorum ... coloniae Luceria, V e n u s i a , oppida Canusium, Arpi ... ;

¹ F. C. CAPOZZI, The Horatian pilgrimage and Apulia, in *Class. Journ.*, 30 (1935), pp. 225-232.

² Cf. etiam V. D'ANTÒ, // *viaggio d'Orazio da Roma a Brindisi*, in *Rend. Accad. di Archeol. Lett. e Belle Arti di Napoli*, 24-25 (1949-1950), pp. 235-255: ubi iter Horatianum illa nota, quam Angli « humour » dicunt, enitere demonstratur, quae risum elicit iocosa atque faceta opponens seriis.

³ Cf. E. H. HAIGHT, *With Horace in Venosa*, in *Art a. Archeol.*, 20 (1925), pp. 317-323.

⁴ In titulo saec. IV (*CIL*, IX,430) legimus: *splendida ciottas Venusinorum*.

⁵ Cf. Cic., *ad Att.* 5, 5,1; 16, 5, 3; *ad fam.* 14, 20; Strab., 6, 5, 7 p. 283.

⁶ Cf. G. BOISSIER, *The country of Horace and Virgil*, transl. by D.H. Fisher, N-Y, 1923; cf. opus magnum F. LENORMANT, *A travers l'Apulie et la Lucanie*, 2 voll., Paris, 1883.

⁷ Cf. N. IACOBONE, *La patria di Orazio, Venosa, centro stradale dell'Apulia e della Lucania*, in *Japtgia*, 1935, pp. 307-332.

⁸ N. FESTA, *Ricordi lucani in Orazio*, in *Miscell. di studi critici in onore di E. Stampini*, Torino, 1921, p. XXIV, 242.

⁹ SERV., *ad Aen.* 11, 246.

¹⁰ Diomedes, gener Dauni, regis Daunlae, conditor Argyripae a Vergilio celebratur, in *Aen.*, 8, 246-247: *ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis — victor Gargani condebat Iapygis agris*.

¹¹ PLIN., *N. H.*, 4, 104.

Ptolemaeus autem ⁽¹⁾ Venusiam Peucetiis (incolis provinciae Bariensis) attribuit. Solus autem Strabo, sed minus accurate, Venusiam collocat in Samnii Lucaniaeque confinio, sed ut illi magis attribuat ⁽²⁾: Strabonem tamen in errorem incidisse manifestum est et testimonia aliorum scriptorum et versus Horatii, quos inscripsimus, demonstrant.

Verum Horatius nugans se de natione ancipitem dicit, cum veterem Romanorum adventum bene noverit. Nam bellis Samniticis Venusia a Romanis expugnata est anno 291 a. Chr. n., a consule L. Postumio, oppidum eo tempore frequens potensque. Deinde eodem anno XX milia colonorum Romanorum Venusiam deducti sunt iuris Latini. Deinde bello Hannibalico Venusia non solum non est expugnata, sed et post cladem Cannensem et aliis temporibus fida Romanis Hannibali restitit⁽³⁾. Venusia tamen post bellum propter vires attenuatas colonos iterum accepit anno 200 a. Chr. n. a triumviris C. Terentio Varrone T. Quinctio Flaminio P. Cornelio Scipione deductos ⁽⁴⁾. Inde bello sociali Venusia, quamquam colonia, a Romanis defecit ad Italicos: qua re a Metello expugnata est, sed civitatem Romanam adepta et in municipium constituta in tribum Horatiam censa est ⁽⁵⁾. Ceterum, anno 43 a. Chr. n., cum militibus tresviri rei publicae constituendae agros in Italia proponerent, Venusia ea clade adflicta est ⁽⁶⁾ et in coloniam iterum redacta. Qua conditione per omnem principum aetatem mansit, unde colonia a Plinio nominatur ⁽⁷⁾ et in libro coloniarum inter urbes Apuliae « limitibus Gracchanis » recensetur ⁽⁸⁾.

Horatius igitur anno 65 a. Chr. n. natus condicione municipali puer usus est, quae usque ad triumviratum (a. 43) mansit. Cum autem in versibus quos inscripsimus coloni Venusini facit mentionem, res post bella Samnitica gestas memorat atque primam colonorum deductionem. Magni enim momenti est testimonium Horatianum, quippe quod causam deductionis indicet ut pace subacti populi fruantur. Nam, sicut Siculus Flaccus testatur⁽⁹⁾, *ut vero Romani omnium gentium potiti sunt, agros ex hoste captos in victorem populum partiti sunt*. Sic evenit ut Venusiae, Sabellis, Samnitium gente, devictis ac depulsis, Romani, ut inter populos inter se

¹ PTOL., 3, 1, 73.

² STRAB., 6, 1, 3 p. 254 (cf. 3, 7 p. 283).

³ Cf. Th. MOMMSEN, *CIL*, IX, Berolini, MDCCC LXXXIII, pp. 44-45.

⁴ Cf. LIV., 31, 49, 6.

⁵ APP. B. *Ciò*. 1, 5, 39 ; 5, 42 ; 6, 52.

⁶ App., *ib.*, 4, 3 : cfr. Hor., *Epist.*, 2, 2,50 : *inopemque paterni et Loris et fundi*

⁷ PLIN., *N. H.* 4, 104.

⁸ Lib. Colon., p. 210.

⁹ In « Corpore Scriptorum agrimensurorum » a Carolo THULIN collecto et edito Lipsiae, a. M CM XIII, p. 100.

hostiliter oppugnantes, Apulos et Lucanos, pacem redderent stabilem, vacuum confinium occuparent et colonis iuris Latini, ex Romana urbe et Latio deductis, agros dividerent. Cuius occupationis et divisionis versus quos inscripsimus Horatii mentionem faciunt.

Quae omnia gesta sunt ante Horatium natum. Qui, cum adolescere coepit, magnam incolarum partem Latine loquentem civitateque Romana fruentem, multos ex Graecis urbibus, multos ex Iudaea provenientes invenit ⁽¹⁾. Graecos autem et Iudaeos haud absurdum est censere Graece locutos esse Venusiamque, quamquam coloniam Romanam, hoc habuisse commune cum Apubs civitatibus, usum utriusque linguae, Graecae et Latinae ⁽²⁾. Etenim ipse Horatius in versiculis Graece scribendis prima experimenta fecit, sed tamen, ne ligna in silvam, ut ait, portaret, ad carmina Latina deflexit ⁽³⁾. Cum autem vir factus et poeta clarus ab optimo quoque laudatus est, numquam oblitus est suae infantiae Venusinae. Nam Pulliam ⁽⁴⁾ nutricem commemoravit, cuius extra limina parvus puer olim exiit, Volturem montem petiit et ludo somnoque fatigatus humi dormivit nec a viperis quae in silvis abundabant offensus est ⁽⁵⁾. Deinde commemoravit Flavi ludum, quo *magni — pueri magnis e centurionibus orti* (superbia tumidi ac vanitate) — *laeuo suspensi loculos tabulamque lacerto — ibant octonos referentes idibus aeris* ⁽⁶⁾: quo in ludo is tamen litterarum prima didicit elementa. Praeterea commemoravit

¹ De Graecis ac Iudaeis Venusinis aetatis Horatianae cf. MOMMSEN, *CIL*, IX, pp. 44-45. Magna est controversia de Horatii natione: E.A. SONNENSCHNEIDER iudicabat eum fuisse Samnitum (*The nationality of Horace*, in *Class. Rev.*, 1898, p. 305). Ipse E. CICCOTTI (*Le origini di Orazio*, in *Nuova Riv. Stor.*, Roma, 27., 1943, pp. 203-222), quaestionibus omnibus diiudicatis maximeque propositione Horatium fuisse natione Iudaeum, hoc unum affirmare se posse dixit, se nihil censere.


² Horatius ipse testatur bilingues fuisse Canusinos (*Sat.* 1, 10, 30): *Canusini more bilinguis*. Cui rei PORPHYRIO adicit (in *Commentariis in Q. Hor. Flaccum*, quos recensuit Gul. MEYER, Lipsiae, a. MDCCCLXXIII): *bilinguis dixit, quoniam utraque lingua usi sunt, sicut per omnem illum tractum Italiae, quoniam ex maiore parte Graeci ibi incoluerunt*.

³ Cf. *Sat.*, 1, 10, 31 sqq.

⁴ Est etiam lectio *Apulia*, ut Porphyrio testatur et Mommsen praefert (*CIL*, IX, p. 44): quam lectionem si accipimus, vel serva ex Apula quadam civitate conicienda est vel nomen a poeta, ut Apulo, praelatum.

⁵ *Carm.*, 3, 4, 9-20.

⁶ *Sat.*, 1, 6, 72-75.



Apulia aetatis Augusti



Apulia nostrae aetatis

locorum situm, Volturis silvas viperis refertas ⁽¹⁾, rura bene culta agri Venusini ⁽²⁾ et praesertim Aufidum fluvium ⁽³⁾, cuius fontem et superiorem cursum haud longe abesse constat ab oppido Venusino. Nec non commemoravit loca et oppida circumstantia, *celsae nidum Aceruntiae* ⁽⁴⁾, *saltus Bantinos* ⁽⁵⁾, et *arvurn pingue humilis Forenti* ⁽⁶⁾. Quae autem loca, partim in Apulia, partim sita in Lucania, territorium Venusinum esse confinium probant utriusque regionis.

Sed tamen Lucaniae pauca vestigia in Horatii animo manserunt, ut venatio aprorum in silvis nive repletis ⁽⁷⁾, ut amica quaedam ⁽⁸⁾, ut saltus apti ad pecora pascenda ⁽⁹⁾. Nam amica Lucana, quae iuvenem Venere et Baccho tumidum facilis accipit, vulgaris femina videtur, utpote quae de quodam oppido montano descenderit et Venusiani incoluerit ad quaestus inter viatores faciendos Appia via transeuntes interque iuvenes in Venerem violenter incurrentes. Quod facile conicere possumus, si consilium ipsius Horatii iuvenis memoria tenemus, qui ad facilem Venerem hortatur cum qualibet et infimae condicionis femina potius quam femina illustris adeatur et memorabilis poena capiatur ⁽¹⁰⁾. Longe alia videtur quam illa moecha Apula, quae ex Bario Barine appellatur ⁽¹¹⁾: quae, cum sensus turbet omnium virorum et metus iniciat in feminas, illecebris et munditiis exquisitis id unum agit, ut amicos spoliet pecuniamque quam maximam cumulet. Apula igitur cum Lucana muliere non est comparanda, cum Lucana mulier ingenio suo facilis rude aliquid rusticumque servet, Apula autem elegantiam atque cultum ad suam regionem magis spectantem in sua nequitia denotet. Deinde saltus Lucani cum Apulis pascuis semper memorantur: nam illis temporibus innumeri greges magnorum possessorum in pascuis montanis Lucaniae aestivare, in planitie autem Apula hiemare consueverant ⁽¹²⁾. Itaque utraque regio,

¹ Venusinae silvae laudantur etiam in *Carm.*, 1, 28, 26.

² *Sat.*, 2, 1, 35.

³ *Sat.*, 1, 1, 68; *Carm.*, 3, 30, 10; 4, 9, 2; 4, 14, 25.

⁴ *Carm.*, 3, 9, 14: PORPH., *Acheruntia oppidum est Lucaniae, quam nidum appellavit, quod parvum sit et in summo monte constitutum.*

⁵ *Carm.*, 3, 9, 15: PORPH., *Bantia oppidum est in Apulia.*

⁶ *Carm.*, 3, 9, 16: PORPH., *oppidum est et ipsum in Lucania.* Est etiam lectio *Ferenti*: quam esse vetustiore et in *Forentum* translata (ex *foro* per analogiam) demonstravit A. PARIENTE, *Forentum o Ferentum* Nota a Hor. *Od.* III, 4, 16 y a Liv. IX, 20, 9, in *Emerita*, Madrid, 1947, pp. 123-132.

⁷ *Sat.*, 2, 8, 6: *in primis Lucanus aper*; *Sat.*, 2, 3, 234-235: *in nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum — cenem ego.*

⁸ *Epist.*, 1, 15, 21.

⁹ *Epod.* 1, 28; *Epist.*, 2, 2, 178.

¹⁰ Cf. *Sat.*, I, 2, quae Saturarum vetustissima iudicatur, inter prima experimenta.

¹¹ *Carm.*, 2, 8.

¹² Idem faciebant magni pecudum possessores Sabinae et Appenninorum mediae Italiae, ut testis T. Varro est, *de r. r.* 2, 1-2, quorum greges autumno in planitiem Apulam descendebant et vere in suos

praesertim in territoriis conterminis, multis causis communibus, ut invectione et commercio, coniuncta erat: cuius rerum communium condicionis vestigia in Horatio plura manserunt, utpote qui in oppido confinio adolevisset.

Sed cum ex suae terrae memoriis aliquid expromere voluit, Apuliae Horatius semper recordatus. Apuliae cognovit populos, cognovit oppida et civitates, cognovit vias, temperiem atque caelum. Nam ex Venusino territorio et viae ducebant in Apuliam, ut Appia Tarentum, inde Brundisium, et valles fluminaque, ut Aufidus, in Apuliam descendebant. Sed ea aetate quam omnem nunc dicunt Apuliam, in duas partes erat divisa, alteram superiorem, Dauniam et Peucetiam comprehendentem, quae sola Apulia appellabatur, alteram inferiorem, Iapygiam et Sallentinos colles comprehendentem, quam Calabriae nomine melius nuncupabant.

At utraque, superior et inferior, regio una considerabatur: non solum enim institutis Augusti simul regebatur, sed semper aetate principum qui postea secuti sunt velut una regio administrata est. Horatius tamen Apuliam a Calabria saepe distinguit: nam in *Sat.* 1, 5, 77:

incipit ex illo montis Apulia notos, etc.,

regionem Apulam Samnii conterminam eum indicavisse constat; et in *Epodo* 1, 27:

pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis

nec non *Epist.*, 2, 2, 177-178:

quidve Calabris — saltibus adiecti Lucani

regionem Calabram Lucaniae conterminam (sive fines provinciae Tarentinae), quo ex Appennino greges pecudum facile transmigrabant, haud dubie indicare Horatius videtur. Interdum tamen utrumque nomen, Calabria vel Apulia, totam regionem complectitur, ut in *Carm.* 1, 31, 5 *aestuosa Calabria*, in *Epod.* 3, 16 *siticulosa Apulia*, vel etiam in *Carm.* 2, 1, 34-35 *Dauniae... caedes* prò caedibus Apulorum (sive Itolorum) claro sensu adhibentur.

Quae cum ita sint, non est absurdum dicere Horatium patriam suam putare terram quae a provincia Foveana usque ad Brundisinos et Tarentinos fines nunc pateat. Quos fines, quam bene noverit ex his quae sequuntur facile videbitur.

Duae igitur viae naturales ex oppido Venusino in Dauniam descendebant, colles in Foveanam planitiem declives et Aufidi cursus ac valles. Interim Horatius planitiem Dauniam latis aesculetis repletam dicit⁽¹⁾, haud longe a Samnii limitibus, ubi Apuli lupi saeviunt⁽²⁾: deinde lanas nominat prope nobilem Luceriam tonsas⁽³⁾, nominat querceta Gargani⁽⁴⁾, illius promunturii quod quercubus et pinis et silvestribus arbustis in declivio maritimo adhuc quasi vestitur. Daunia autem Horatiana pauper aquae indicatur⁽⁵⁾, cum et pars Apuliae siticulosae sit⁽⁶⁾ et Atabulo vento fatigetur⁽⁷⁾. Daunia autem ad meridiem Aufido flumine finitur quod, ut ait Horatius, regna Dauni praefluit⁽⁸⁾: deinde ultra Aufidum patet Peucetia (vel provincia Bariensis). Haec quoque terra Horatio bene nota fuit. Nam a. 38 a. Chr. n. Horatius cum quibusdam amicis Maecenatem comitatus magnis de rebus publicis Brundisium petentem usque Beneventum Appia via iter fecit: quo cum pervenisset Appia relicta Minuciam viam ingressus per Peucetiam et Apulam oram Brundisium contendit⁽⁹⁾. Tunc vero poeta Apuliam revisit et bene cognita sibi loca esse declaravit⁽¹⁰⁾. Iam ab initio montes e i n o t o s Apulia ostentare

¹ *Carm.*, 1, 22, 14 : aesculeta ex aesculis, quae arbores glandiferae adhuc exstant in silvis Apulis.

² *Carm.*, 1, 33, 7-8.

³ *Carm.*, 3, 15, 13-14.

⁴ *Carm.*, 2, 9, 6-8 ; *Epist.*, 2, 1, 202.

⁵ *Carm.*, 3, 30, 11.

⁶ *Epod.*, 3, 16.

⁷ *Sat.*, 1, 5, 78: *torret Atabulus*, quem ventum a regione nominatum esse dicit GELLIUS (2,22,25); et PORPH., sic *appellatur ventus in Apulia ferventissimus Graeca appellatione* (i. e. τὴν ἄτην βάλλων). Idem videtur ac quem Livius Volturnum appellat in pugna Cannensi Romanis infestum (22, 43, 10). Gellius tamen, sermonem de ventis ab ilio Favorino Arelatensi, viro suae aetatis doctissimo, referens habitum, Volturnum ait ventum e regione S-E provenientem; Atabulus autem, quem nostra aetate Apuli «favonium» adhuc appellant, cum favonio Romanorum (vel zephyro Graecorum) congruere videtur, qui secundum Gellium a regione S-W provenit. Nam ventus ille non solum fortis, sed torridus Apuliam infestat, quod ex interioribus adflat terris.

⁸ I. e. fluit prae., ante ...

⁹ Post Beneventum, ut constat, Appia via Brundisium ducebat per Venusiam et Tarentum; Minucia autem via dicebatur quae minus apta, sed multo brevior, Benevento per Canusium, Barium et Gnatiam Brundisium usque extendebatur, unde ambigebatur *Brundisium Minuci melius via ducerei an Appi*, *Epist.*, 1, 18, 20: cf. Cic, *ad Att.* 9, 6, 1. Deinde Traianum constat Minuciam viam refecisse, unde Traiana dicta via est.

¹⁰ Cf. E. DESJARDINS, *Voyage d'Horace à Brindes* (*Sat.*, 1, 5). *Dissertation géographique*, Mâcon, 1855, et in *Rev. de philol.* N. S. II (1878), pp. 144-175: nec non opera laudata F. C. Capozzi et V. D'Antò.

incipit ⁽¹⁾. Inde in locis, vicis, oppidis Apulis enumerandis Horatius res quasdam notabiles recenset, quae nihil ad iter pertinent. Nam iter non aestivo tempore factum est: in prima enim statione in Trivici villa *udos cum foliis ramos* urit caminus ⁽²⁾ et paulo post, Canusio profectus usque Rubos, iter est *factum corruptius imbri* ⁽³⁾: poeta tamen montes Apulos torrere Atabulum docet ⁽⁴⁾, Aeque Tutico venire aquam vilissimam rerum ⁽⁵⁾ et panem esse longe pulcherrimum, panem autem Canusi lapidosum (quae omnia essent per aestiva tempora): immo vero Canusium docet *a forti Diomede conditum olim* ⁽⁶⁾, quem fabula et Argyrpae et venusiae conditorem praedicabat ⁽⁷⁾. Nec aliter Barium Horatius memorat esse piscosum, Gnatiam Limphis iratis exstructam ⁽⁸⁾, ubi tamen risus iocosque viatoribus incolae dederunt, dum sine *flamma tura liquescere limine sacro* persuadere conantur ⁽⁹⁾. Inde Brundisium ⁽¹⁰⁾ attingit in Calabria situm.

Quae urbs saepe nominatur non modo ut portus ad Graeciam regionesque Orientales petendas aptus ⁽¹¹⁾, sed etiam ut oppidum viatoribus gratum, ut Surrentum, ob locorum amoenitatem ⁽¹²⁾. Etenim Brundisio iam solvit Vergilius, quem Horatius animae appellat dimidium suae ⁽¹³⁾, cuius pro incolumitate patrem ventorum precatur ut ventos obstringat praeter Iapyga ⁽¹⁴⁾. Nam Iapyx ventus, ab Iapygia ⁽¹⁵⁾ dictus, velorum Graeciam petentium bene inflat sinus: ut enim apud Gellium

¹ *Sat.*, 1, 5, 77-78: *incipit ex ilio montis Apulia notos — ostentare mihi; Porphyr., ordo: notos mihi. nam « ostentare mihi » ideo maxime non est intellegendum, quia si hoc vellet intellegi « ostentare nobis » dicendum erat, cum non solus iter faciat nec illos montes solus videre incipiat.* Quae esse vera demonstrant verba quae sequuntur pluralia: *erepsemus ... nos*, etc.

² *Sat.*, 1, 5, 81.

³ *Ib.*, 95.

⁴ *Ib.*, 78.

⁵ *Ib.*, 87-88: *oppidum non nominatur « quod versu dicere non est »; sed ex aqua quae venit clare indicatur: Aequum Tuticum significat* (Porph.).

⁶ *Ib.*, 92.

⁷ Cf. sup. n. 13.

⁸ *Ib.*, 97-98: *per haec quoque oppidulum significat penuria aquae laborare* (Porph.). Cf. tamen L. RUSSO, *Limphis iratis exstructa. Noterella oraziana*, Monopoli, 1932.

⁹ Hoc quoque censemus Horatium iam diu cognovisse et ut derideret in itinere adnotare voluisse. Tura autem liquescentia sine flamma ritum Persicum fuisse et ab incolis Gnatiae receptum esse, ut Volcanum colerent et Nymphas, demonstravit L. HERMANN, *Le miracle de Gnatia*, in *La Nouvelle Clio*, Bruxelles, V (1953) Mélanges A. Carnoy, pp. 59-64.

¹⁰ *Ib.*, 104.

¹¹ *Epist.*, 1, 18, 20.

¹² *Epist.*, 1, 17, 52.

¹³ *Carm.*, 1, 3, 8.

¹⁴ *Ib.*, 3-4.

¹⁵ Cf. PORPHIR.: *Iapyx ventus a regione unde flat dicitur. Iapygia autem est quae nunc Apulia appellatur, sic ergo optime hoc vento ex Italia Athenas navigatur.*

Favonius docet ⁽¹⁾, e parte flans occidentali in exortum dirigitur, immo vero in eam partem quam nunc S-E dicimus. Praeterea Brundisium est caput Calabriae, regionis aestuosae ⁽²⁾, ditissimae armentorum ⁽³⁾, gregum ovium ⁽⁴⁾, saltuum herbis floribusque fertilium ⁽⁵⁾, qui piris ⁽⁶⁾ abundabant et melle⁽⁷⁾.

At ditissimum Calabriae territorium celebratur Tarentinum, ubi parvae oves, pellitae ne velleri lanae delicatissimae vepres noceant ⁽⁸⁾, saltibus pascuntur Galaesique fluvii aqua sitim adlevant⁽⁹⁾ ; ubi *non Hymetto — mella decedunt viridique certat baca Venafro* ⁽¹⁰⁾, ubi colles vitibus vestiuntur vinisque certant Falernis ⁽¹¹⁾; ubi *ver... longum tepidasque praebet — Iuppiter brumas* ⁽¹²⁾. Inter urbes Apulas et Calabras Tarentum dominatur, ob originis nobilitatem ⁽¹³⁾, aëris amoenitatem ⁽¹⁴⁾ civiumque mollitiam ⁽¹⁵⁾.

Ceterum ut res regionis Apulae notabiles Horatius cognoscit et laudat, item Hadriaticum vel mare Apulum nominat vel mare solum excellens. Nam cum violentiae Hadriatici poeta meminit, comparans cum puellae acri ingenio dicit

.... fretis acrior Hadriae
curvantis Calabros sinus ⁽¹⁶⁾.

Ad mare autem indicandum inter Italiani et Cantabricam regionem vel Scythiam interiectum poeta dicit

quid bellicosus Cantaber et Scythes
.... cogitet Hadria

¹ Cf. GELL. (ex edit. C. HOSTI), 2, 22, 22-23: *eum [=Iapygem] esse propemodum caurum existimo: nam et occidentalis et videtur exadversum eorum flare. Itaque Vergilius (Aen., 8, 709) Cleopatram a navali proelio in Aegyptum fugientem vento iapyge ferri ait.*

² *Carm.*, 1, 31, 5.

³ *Ib.*, 6.

⁴ *Epod.*, 1, 27-28.

⁵ *Epist.*, 2, 2, 177-178 : cf. VERO., *Georg.* 3, 425, *Calabris in saltibus*.

⁶ Pirus silvestris in saltibus Apulis adhuc abundat, quam inserere et miros fructus habere res perfacilis est. De piris Calabriae cf. HOR., *Epist.* 1, 7, 14-19.

⁷ *Carm.*, 3, 16, 33, *Calabrae mella ferunt apes* ; cf. *Carm.*, 4, 2, 27, *apis Matinae*.

⁸ *Carm.*, 2, 6, 10 : « *pellitas oves* » dixit, quod Tarentinae oves pellibus teguntur (PORPH.). De lana autem delicata oviumque natura Tarentinarum cf. Columell. *d. agr. c.* 7, 4. In urbe autem Tarento miros imitata colores lana texebatur: cf. HOR., *Epist.* 2, 1, 207.

⁹ Galesus fluvius est Tarentinorum (PORPH.).

¹⁰ *Carm.*, 2, 6, 15-16.

¹¹ *Ib.*, 18-20.

¹² *Ib.*, 17-18: *de fertilitate... et amoenitate Tarentini agri et Vergilius in Georgicon quarto significat* (v. 125 sqq.) (PORPH.).

¹³ Horatius eius originem Lacedaemoniam memorat: *Carm.* 2, 6, 11-12; 3, 5, 56.

¹⁴ *Epist.*, 1, 16, 11.

¹⁵ *Sat.*, 2, 4, 34.

¹⁶ *Carm.*, 1, 33, 15-16.

divisus obiecto ... ⁽¹⁾.

Eodem modo cum marinis eget figuris, saepe ad Hadriaticum poeta mente recurrit:

quem crimosus cumque voles modum
pones iambis, sive flamma
sive mari libet Hadriano ⁽²⁾;
... fretis acrior Hadriae ⁽³⁾;
... inprobo
iracundior Hadria ⁽⁴⁾;
frustra cruento Marte carebimus
fractisque raucis fluctibus Hadriae ⁽⁵⁾.

Postremum, Hadriatici res notabiles poeta cognoscit: hic piscosum illud mare laudat ⁽⁶⁾, illic lacum ⁽⁷⁾ vel sinum atrum ⁽⁸⁾, quem crudeliter dominatur Notus,

quo non arbiter Hadriae
maior, tollere seu ponere volt freta ⁽⁹⁾ ;
... neque Auster, dux inquieti
turbidus Hadriae ⁽¹⁰⁾.

Quae igitur Apuliae eiusque maris Hadriatici tam multa vestigia non solum Horatium res suae regionis bene cognovisse demonstrant, sed etiam tantum in mente et sensibus adhaeserunt ut omni vitae tempore emergerent novisque rebus atque experimentis facile responderent. Nam, cum numerum vestigiorum terrae natalis tantum esse videamus, in animo poetae illas velut notas fortiter impressas esse non cogitare non possumus. Hinc intelligimus cur totiens poeta Apuliae meminerit, cur Apulos ut impigros ⁽¹¹⁾, ut prisca ornatos virtute laudet ⁽¹²⁾, cur Apulos una cum Marsis pro fortibus Romanis militibus nomet ⁽¹³⁾, cur Dauniam militarem appellet ⁽¹⁴⁾. Ideo, quamquam Romae vivit et gratia favoreque principum Romanorum potentium pollet, quamquam splendida

¹ *Carm.*, 2, 11, 1-3.

² *Carm.*, 1, 16, 2-4.

³ *Carm.*, 1, 33, 15.

⁴ *Carm.*, 3, 9, 22-23.

⁵ *Carm.*, 2, 14, 13-14.

⁶ *Sat.*, 1, 5, 97.

⁷ *Epist.*, 1, 18, 63.

⁸ *Carm.*, 3, 27, 18-19.

⁹ *Carm.*, 1, 3, 15-16.

¹⁰ *Carm.*, 3, 3, 4-5: ut constat, Auster Latinus idem ac Notus Graecus, cf. Favorinum ap. GELL. 2, 22, 3 sqq.

¹¹ *Carm.*, 3, 16, 26, *impiger Apulus*; *Epod.* 2, 42, *pernicis... Apuli*.

¹² *Carm.*, 3, 15, 13-14; *Epod.* 2, 41-42, *perusta sollbus ... uxor Apuli*. In *Sat.*, 2, 3, 168-170 Servius Oppidius Canusinus memoratur, dives antiquo censu (*hoc est parco censu dives*, ut notat PORPHYRIO), qui duo praedia duobus filiis moriturus dividens sapienter loquitur ne ambitione laedantur.

¹³ *Carm.*, 3, 5, 9.

¹⁴ *Carm.* 1, 22, 13: *militarem dixit, quia militiae aptos oiros habet* (PORPH.). In *Carm.*, 2, 1, 34-35 caedes Italorum in civilibus bellis patrae *Dauniae... caedes* dicuntur.

pulchraque villa donatur in Sabinis et Tiburte, quamquam Tiburis arces sincera admiratione celebrat, Horatius tamen illecebrarum suae terrae natalis numquam obliviscitur atque Septimio familiari suo de Tarento sic potest scribere:

ille terrarum mihi praeter omnis
angulus ridet ...
ille te mecum locus et beatæ
postulant arces : ibi tu calentem
debita sparges lacrima favillam
vatis amici ⁽¹⁾.

Namque Horatius non solum se Apulum semper habuit, sed et Apulorum mores etiam Romae servavit. Simplicitas enim vitae sine curis, studium ruris sepositi,

... modus agri non ita magnus,
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
et paulum silvae super his foret ⁽²⁾,

gustus quidam simplex,

o quando faba Pythagoræ cognata simulque
uncta satis pingui ponentur holuscula lardo? ⁽³⁾,

conscientia suae virtutis,

... sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam ⁽⁴⁾,

animus superbus adulationum ignarus ⁽⁵⁾.

Origo autem Apula Horatii his annis confirmata est a T. Smerdel, Illyrica natione docto viro, qui Horatii vestigia secutus amorem amorisque curas demonstravit expressas esse figuris ex mari Hadriatico deprehensis⁽⁶⁾; easdem figuras in antiquis poetis Illyrici orae maritimae posse inveniri: ex quo esse confitendum res primæ aetatis, ex Hadriatici maris peritia provenientes, in mentem Horatii penetrasse et, ut ita dicam, lexicum de amore ac sensibus poetice constituisse. Non est igitur infitiandum verba Horatiana de sensuum impetibus violentiam fluctuum maris, immo maris Hadriatici, quasi olere, ut ex pluribus verbis quae supra scripsimus facile ducitur: sed potius quam ipse Horatius a mari traheret,

¹ *Carm.*, 2, 6, 13 sqq.

² *Sat.*, 2, 6, 1-3.

³ *Ib.*, 63-64. Nostra quoque aetate Apuli et maxime sobrii, quamquam multa vina producant, et a cibis carneis alienissimi sunt, quamquam usque fere ad finem saeculi praeteriti fuerunt plerumque pastores.

⁴ *Carm.* 3, 30, 14-16.

⁵ Cf. urbanum, sed durum responsum in *Episl.* 1,7 ad Maecenatem scriptum. Cf. etiam *Epist.* 1, 20, 23, ubi non solum se placuisse Augusto eiusque amicis memorat, sed etiam Bruto et Cassio: *me primis urbis belli placuisse domique*.

⁶ T. SMERDEL, *La mer dans la lyrique érotique d'Horace* (opusculum Croate exaratum, sed brevi compendio Gallice transcriptum), in *Ziva Antika*, Skoplje, 3 (1953), pp. 82-98.

nobis persuasum est poetam e populo derivasse. Nec hoc mirum, cum et illius et nostrae aetatis magna pars Apulorum in oris habitent maritimis et e mari facile trahant figuras ad motus intimos exprimendos aptas. Quam enim inducimur in persuasionem, cum plures cantus populares cognoscamus, in quibus verba e mari figuras trahentia multa sunt et maxime placent eorum auribus et qui audiunt et qui canunt (¹). Aliquid simile potuit in Apulis populis vigere aetate Horatiana nec mirum, si poeta verba popularia et figuras pulcherrimas electas in sua poemata transfudit.

Horatius igitur usque ad extremos vitae dies Apulum se proclamavit suamque artem ut Apulam praedicavit. Cum igitur C. Iullo Antonio carmen misit, ubi cum Pindaro, illa Thebanorum gloria, ut superiorem celebraret, se comparavit (²), Horatius suum opus aestimans ut apium finium Tarentinorum, humile et exquisitum, iudicavit (³):

... ego apis Matinae (⁴),
 more modoque,
 grata carpentis thyma per laborem
 plurimum, circa nemus uvidique
 Tiburis ripas operosa parvus
 carmina fingo.

Musae quoque Horatianae ut Apulae praedicantur:

Dauniae defende decus Camenae (⁵),
 levis Agyieiu (⁶).

Denique, ut vidimus, ex Apulia trahit plures figuras ad carmina illustranda, quarum longe pulcherrima est Aufidi imago qui regna Dauni Apuli praefluens volvitur,

cum saevit horrendamque cultis
 diluviem meditatur agris (⁷).

Extremis igitur vitae temporibus, suum opus et carmina considerans, cum origine Apula sensit esse connexa: ideo Apula terra gloriatus est.

¹ Ex. gr., ad animum aegritudine oppressum indicandum est cantus quidam incipiens: *tengo 'u core amaro amaro* — *come l'acqua de lu mare*; ad animum autem agitatum: *tengo 'u core a sciacque scitte* (quae postrema verba aquam sordidam significantia aptissima sunt ad mare Hadriaticum agitatum, quod ad litus harenis circumfunditur fuscumque colorem ostentat).

² *Carm.*, 4, 2: quod poeta dicit de Augusto contra Sygambros in Gallia bellante (*ib.* 32-36) ad opinionem inducit carmen paulo ante 13 a. Chr. n. confectum (nec est obliviscendum Horatium 8 a. Chr. n. esse mortuum): cf. adnotationes Iacobi Gow, *Q. Hor. Flacci Carmina*, Cambridge, 1906.

³ *Ib.*, 27-32.

⁴ PORPHIRIO ad *Carm.*, 1, 28, 3: *Matinus mons sive promunturium est Apuliae*, quod haud longe a Tarento distabat: cf. HOR., *Carm.*, 1, 28, 3; *Epod.*, 16, 28.

⁵ PORPHYRIO: *Dauniae Camenae suae musae dicit Horatius ...si quidem Daunia Apulia est...*

⁶ *Carm.*, 4, 6, 27-28: praeludium videtur Carminis Saecularis, ideo scriptum paulo ante annum 17 a. Chr. n.

⁷ *Carm.*, 4, 14, 25-28: imago Claudium Neronem (futurum Tiberium principem) agmina Vindelicorum diruentem exprimit. Cum autem bellum Vindelicium anno 15 a. Chr. n. gestum esset, carmen paulo post scriptum esse videtur.

Nam paulo post 16 a. Chr. n. (¹) Marco Lollio suo familiari sic scripsit (²):

ne forte credas imperitura quae
longe sonantem natus ad Aufidum
non ante volgatas per artis
verba loquor socianda chordis.

Haec autem testimonia notis claris superbisque verbis in postremo carmine iam fixa erant, quod anno 24 a. Chr. n. exaratum prius Carminum corpus concludebat. Iam tunc poeta censuerat ductum suum opus ad unguem esse atque perfectum. Itaque, conscientia impulsus virtutis, monumentum se exegisse dicit aere perennius:

regalique situ pyramidum altius (³).

Iam tunc nomen suum per terram patriam volitare videbat, quam his verbis ita descripsit (⁴):

dicar, qua violens obstrepat Aufidus,
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnabit populorum, ex humili potens, etc.

De quibus versibus, qui pluribus interpretationibus leguntur, multa disputantur, cum res inter se oppugnantes, fluvium aquis abundantem et planitiem siccitate conspicuam, indicare videantur. Iam vero Porphyrio duos fluvios distinguebat, Aufidum quem saepius nominatum ab Horatio vidimus, ex territorio Venusino nascentem et Apulia in duas partes divisa haud longe a Cannis et paucorum a Barletta milium passuum in Hadriaticum mare fluentem, et Daunum, parvum quemdam rivum, et a Dauno rege appellatum. Deinde fere nostris temporibus eadem interpretatio idonea visa est et J. Grasso (⁵) et C. Cristofolini (⁶), qui iterum opinantur duos esse fluvios ab Horatio enumeratos, Aufidum et Daunum (⁷), alterum abundantem, alterum aquis vacantem; unde Cristofolini versus proponit ita esse corrigendos:

dicar, qua violens obstrepat Aufidus,
i t qua pauper aquae Daunus, agrestium
r e g n a t o r populorum ...

¹ Ut Iacopo Gow videtur, in *op. laud.*, p. 344.

² *Carm.*, 4, 9, 1-4.

³ *Carm.*, 3, 30, 1-2. Carmen a plurimis viris doctis adnotationibus ad quaestiones explicandas et commentariis est ornatum, quorum inter recentissimos enumerandus est Xav. ITURGAIZ, *Exegi monumentum*, in *Helmantica*, Salamanca, 3 (1952), pp. 427-440.

⁴ *Ib.*, 10-12.

⁵ G. GRASSO, *Il Pauper aquae Daunus oraziano*, in *Riv. Fil. e Istruz. Class.*, Torino, 24 (1896), pp. 243 sqq.

⁶ C. CRISTOFOLINI, A proposito d'un recente studio sul « pauper aquae Daunus » Od. III, 30, 11-12, in *Riv. Filol. e Istruz. Class.*, Torino, 25 (1897), pp. 104-107.

⁷ Ut GRASSO videtur, Daunus idem est ac Carapella nostrae aetatis.

At plerisque interpretum nostrae aetatis longe aliud videtur. Iam enim suo tempore V. Ussani de solo Aufido fluvio Horatium locutum esse voluit ⁽¹⁾: sic postea Stampini, Nauck, Gow, Lejay, Rasi, Tescari, Arnaldi aliique innumeri in eandem sententiam ierunt. Daunus autem primus fuit rex Daunia, Pilumni et Danaes filius ⁽²⁾, ex Illyria ad Dauniam appulsus, quo Diomedem postea recepit. Horatius igitur, ad terram patriam describendam, duo loca distincte enumerat, territorium Venusinum, quod Aufidus obstrepens adluit ⁽³⁾, et planitiem Dauniam (hodie provinciam Foveanam), ubi Daunus memoratur regnasse, *pauper aquae*, in terra siticulosa ⁽⁴⁾. Ideo in lectione codicum nihil est mutandum: quae lectio nobis indicat duas partes esse Apuliae, Apuliam superiorem siti laborantem et angulum Venusinum dulci strepitu Aufidi resonantem, qui tamen in Apuliam descendens regionem in duas partes dividit: unde solus Aufidus totam Apuliam per synecdochen indicare potest ⁽⁵⁾.

Ceterum Apula origo non solum ab ipso Horatio in tam multis testimoniis memorata est, sed etiam a posteris celebrata. Nam nullo loco Porphyrio desinit Horatium dicere Apulum:

Aufidus, flumen Apuliae, in qua Horatius natus est ⁽⁶⁾;

Daunia Apulia est, in cuius finibus natus est ⁽⁷⁾ : etc.

Horatiana autem origine Apula Porphyrio adductus, in errorem interdum inducitur, cum ex. gr. Calabras Pierides, quibus versus Annalesque Ennianos poeta videtur indicare voluisse, ad Horatiana carmina spectare interpretetur: *sua vult intellegi carmina, quia in urbe Venusia natus est, quae est in Calabria atque in Apulia* ⁽⁸⁾.

Quae postrema verba luculenter declarant aetate principum Calabriam et Apuliam unam regionem consideratas esse. Unde Martialis poeta, et ipse originem Apulam celebrans poetae Venusini, Calabrum eum saepius appellat:

nec minus in Calabria suspiciende lyra ⁽⁹⁾ ;

sic Maro nec Calabri temptavit carmina Flacci ⁽¹⁾ ;

¹ V. USSANI, Spigolature Oraziane, in Riv. Filol. e Istruz. Class., Torino, 25 (1897), pp. 437-438.

² Cf. VERG., *Aen.*, 12, 22. 406. 723.

³ Horatius solum cursum Aufidi superiorem per territorium Venusinum fluentem indicare videtur, cum *obstrepit* dicit et *longe sonantem ... Aufidum* (*Carm.*, 4, 9, 2) et *Aufidus acer* (*Sat.*, 1, 1, 58), non et medium et inferiorem per Apulam planitiem, ubi flumen, quamquam aquarum dives ea aetate (nunc «Ofanto» rivulus est), obstrepere non poterat.

⁴ Cf., *Epod.*, 3, 16.

⁵ Apud Horatium non desunt loci, quibus fluvii pro regione nominentur: sic in *Carm.*, 3, 4, 36, *Scythicus ... amnis* (= Tanais, hodie Don) pro Scythica regione, in *Carm.*, 3, 17, 8 *Liris* pro regione Formiana, sic in *Carm.*, 4, 14, 46, *Nilus, Hister, rapidus Tigris* pro Aegypto, regione Danubiana et Parthia enumerantur.

⁶ *Carm.*, 3, 30, 10.

⁷ *Carm.*, 4, 6, 27.

⁸ *Carm.*, 4, 8, 20.

⁹ MARTIAL., 5, 30, 2.

fila lyrae movi Calabris exculpta Camenis (²).

Martialem vero Calabria prò Apulia et vice versa uti esse solitum, velut licentia poetis concessa, non errore quodam, ex hoc conicere possumus:

Apula Ladae tibi floruit herba Phalanthi,
Quae saturat Calabris eulta Galaesus herbis (³).

Quo in disticho nemo est qui derivationem Horatianam non videat, in floribus, herbis, et fluvio Tarentino memorandis; duo autem adiectiva, Apulum et Calabrum, in eo disticho eosdem fines indicant Tarentinos (⁴).

Si tam multa vestigia terrae patriae in Horatii scriptis ac mente manserunt, ut totiens e poetae calamo effunderentur et ad posteros transmigrarent, unum hoc concludendum videtur, patriam Romanam, quamquam tot gentium dominatum exerceret, non modo singulorum studiis favisse, sed originis cunctorum respectum habuisse, adeo ut et illi maximi poetae, Vergilius Horatiusque, suae terrae natalis numquam obliviscerentur. Hic vero non sunt praetereunda quae Cicero de duabus patriis locutus est et in qua generatus erat et in qua vivebat: nam et eam patriam esse ducit, ubi natus sit, et illam a qua exceptus sit; si pro altera mori et totum se dedere iustum sit, dulcem autem non multo secus esse eam quae genuerit, quam illam quae exceperit (⁵). Qua in eadem disciplina ac moribus educatus, Horatius, cum puer Romam venisset ut Orbilium audiret, tamen suum oppidum Venusinum et regionem Apulam ex corde ac mente numquam demisit suamque laudem, quam Carminibus perficiendis sibi comparavit, cum Apulia sibi dividendam censuit.

¹ MARTIAL., 8, 18, 5.

² MARTIAL., 12, 94, 5.

³ MARTIAL., 8, 28, 3-4.

⁴ Nullius igitur momenti videtur quaestio, utrum Martialis in Horatio dicendo Calabro erraverit necne, quam tractavit Ed. B. STEVENS, *Martial and the « Calabrian » poet*, in *Class. Weekly*, Lancaster, 37 (1943-1944), pp. 172-173, cum ex illis quae de Calabria et Apulia notavimus nullus existat error.

⁵ CIC., *de leg.* 2, 2, 5.